

§ 18. Quinam vocem habent et quinam carent.

I. Jus ferendi suffragium in capitularibus actibus ex canoniae jure promanat (1) : nam proprium est canoniae, ut canonicis tribuat indistinctum et æquale jus vocis, quoad omnia quæ in capitulo fiunt, et collegialiter expedientur (2) : ita ut omnes canonici seu capitulares vocem habeant, nisi quid obstet aut impedit, ut in sequentibus dicetur.

Attamen eo etiam admissio, quod jus ferendi suffragium canoniae proprium sit, fas equidem est, jus illud circumscribere intra certos limites, quatenus canonici quibusdam etiam in casibus voce capitulari frui nequeant. Ita ut, licet aliqui canonici vocem activam in capitulo non habeant, inde tamen inferre non liceat, eosdem non esse de capitulo : nihil enim vetat, vocem non habere in certis rebus gerendis, et tamen posse esse capitularem (3).

II. An canonici suffragium in propria causa ferre possint, dubitatur (4). Qui affirmant, dicunt nullam adesse legem, quæ hoc prohibet; et in jure receptum est, in re prohibitiva illud esse permittendum, quod a lege expresse non vetatur. Sic Sacra Congregatio Concilii (5) declarat validam esse electionem vicarii capitularis in persona electi, qui ex triginta duobus votantibus septemdecim vota retulerat, computato proprio voto. Quinimo canonicos ex jure pollere facultate ita ferendi suffragium, deducitur ex Decretal. lib. 1, tit. VI, c. XXXIII *Cum in jure*, cum inde liceat canonico, qui se videt ab aliis nominari et presentari, consentire tali electioni, utpote suffragium in sui favorem ferendo (6). Alii vero negant juxta adagium : Nemo judex in propria causa : quia in sacris muneribus quæcumque ambitio ac quæcumque affectio sui ipsius prorsus exulare debet, utpote a jure abhorrens. Unde Sacra Congregatio Concilii 11 Decembris 1875 in *Ariminen*, ad dubium : « An canonicus ad vacantem præbendam canonicalem a sociis præsentatus, dum se abstinet a dando suffragio, quando votatio

(1) S. C. C. 8 Feb. 1738, *Pisc.* § 3, apud Zamboni tom. 4 *Capitulum* § XV.

(2) S. C. C. 27 Feb. 1768, *Sen.* § 9, ibidem.

(3) S. C. C. 19 Feb. 1744, *Nicen.* § 5, apud Zamboni tom. IV, *Canonici* § XVI.

(4) Acta S. Sedis 1881, vol. XIII, fol. 291-294.

(5) In causa *Matheraten*, 1649, quam refert De Luca de canonici, disc. 26.

(6) Acta S. Sedis vol. X, 1877, fol. 275-278.

§ 18. DE HABENTIBUS VOCEM ET CARENTIBUS.

» ipsum respicit, teneatur etiam abstinere a ferendo suffragio in capitulo toties quoties alii concurrentes votationi subjiciuntur » in casu? respondere censuit : *Affirmative.* »

In hac opinionis diversitate juxta Acta Sanctæ Sedis (1) videtur canonicus in hoc casu suffragia ferre posse in publica electione, quia se consciens per alios nominari, juxta c. *Cum in jure* suæ electioni accedere potest citra vitium ambitionis. Id vero eidem denegatur in electione secreta : quia cum ignoret, an alii canonici in eum concurrent, videretur potius seipsum ambitiose eligere, quam aliorum electioni consentire. Forte tamen fundate dicendum est, votum in propria causa non convenire, ut per se liquet, et proinde ab eo abstinendum esse; si tamen detur, ipsum per se validum esse, quia canonicus vi canoniae jus habet ad votum, et in jure ab eo non prohibetur. Unde Sacra Congregatio in causa *Matheraten* 1649, supra citata, validam declarat electionem factam; et contra eadem Congregatio ad dubium : « An in comitiis capitularibus jus suffragandi habeat canonicus, qui ab Archiepiscopo proponitur ad officium judicis et examinatoris synodalis » in casu? Respondere censuit : *Negative* - quatenus hoc jus in propria causa decenter et convenienter impleri nequit. Idem observari potest quoad causam in *Ariminensi* 11 Decembris 1875 (2).

III. Plures canonici consanguinei, licet etiam proximi ut fratres, de jure communi, omnes et singuli, vocem habent in capitulo : siquidem in iis quæ juris publici sunt, unusquisque præsumitur moveri magis ex bono publico et ex justitia, quam ex causa privata et carnis affectione. Namque in primis ex apertissima civilis juris dispositione « prodest suffragium patris filio, et filii patri, item eorum, qui in ejusdem patris potestate sunt : quasi decurio enim illud dedit suffragium, non quasi domestica persona : in iis quippe, quæ juris publici sunt, præsumitur, quod magis ob bonum publicum moveatur quam ex alia causa particulari affectionis » (3). Quæ juris civilis dispositio consentanea est juri canonico et declarationibus Sacræ Concilii Congregationis (4). Aliud

(1) Vol. IX, 1876, fol. 145, ad IX et X.

(2) Vid. Acta S. Sedis vol. IX, 1876, fol. 138-145; vol. X, 1877, fol. 273-279; Analecta juris Pont. 3 sér. 1858, fol. 1098-1100. Cfr. etiam Acta S. Sedis vol. XIII, fol. 390 sqq. et vol. XV, fol. 100 seqq.

(3) L. Illud et L. Item Dig. Quod cuius univers.

(4) 23 Aug. 1631, in *Vercellen.*; 14 Aug. 1654; 29 Nov. 1670, lib. 26 Decr. p. 471, apud Pallottini *Canonici* § X. n. 26; 19 Sept. 1818, in *Pisana* ibidem n. 33; Acta S. Sedis vol. I, fol. 157; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 2, postul. XIV, n. 117.

autem esse potest ex statutis, a Sede Apostolica sive a Sacra Congregatione confirmatis. Quandoque enim expedit prohibere, ne plures consanguinei in eodem capitulo simul suffragium ferant, cum scilicet probabilis adest causa, ne affectio suspectum generet. Nemo quidem canonicorum, ut jam dictum est, privari potest jure ferendi suffragium; hoc tamen ita intelligendum est, ut jus illud canonicis penitus auferri non possit, secus autem si ex parte tantummodo et certis limitibus circumscrribatur ob probabilem causam vel saltem ob suspicionem a jure non reprobamat (1).

IV. Recentioris institutionis canonici vocem habent, sicut anterioris, præterquam in negotiis, quæ respiciunt interesse et jura particularia veterum canonicorum, ut dictum est cap. VII, § 11.

V. « Quicumque in cathedrali vel collegiata, sæculari vel regulari ecclesia divinis mancipatus officiis, in subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit; vocem in hujusmodi ecclesiis in capitulo non habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis libere fuerit concessum » (2).

Hoc obtinet, licet iste, qui in sacro subdiaconatus ordine constitutus non est, sit prima dignitas vel caput capitulo; quamdiu sacris initiatus non fuerit, remanet privatus voce in capitulo (3): et pariter si quis canonicatum possideat, cui non est adnexum onus suscipiendi sacros ordines, suffragium in capitulo ferre non potest, nisi in ordine subdiaconatus constitutus sit (4).

Canonici clero, qui non est subdiaconus, vocem indulgere et concedere nequeunt, ut liquet ex Concilio Tridentino, quod hoc statuit, *etiamsi hoc ab aliis libere fuerit concessum*: neque Episcopus in hoc dispensare potest (5); neque suffragatur consuetudo aut præscriptio ad vocem habendam (6). Quod si nihilominus canonicus, qui non est in sacris, ad vocem activam admittatur, idcirco tamen gesta capitularia irrita non remanent (7).

(1) Vid. Pallottini loco cit. n. 35, 41-45 et Acta S. Sedis vol. XIII, fol. 393-396.

(2) Conc. Trid. sess. XXII, c. IV de reform. Clement. lib. 1, tit. VI, c. 2, *Ut it.*

(3) Scarfantonius lib. IV, tit. III, n. 20.

(4) S. C. C. 31 Maij 1783, in *Sabinen*, § *Ex mente*, apud Pallottini *Canonici* § X, n. 67.

(5) Scarfantonius lib. IV, tit. III, n. 5.

(6) S. C. C. 27 Mart. 1602, *Bononien*, dub. 2, apud Zamboni, *Canonici* § XII, n. 2; 21 Ap. 1640, *Nullius*, lib. 16 decret. p. 354, apud Pallottini *Canonici*, § X, n. 80; Scarfantonius loco cit. Barbosa de canonicis, c. XXXVII, n. 6.

(7) Scarfantonius lib. IV, tit. III, n. 11.

Quod autem qui in sacro subdiaconatus ordine constituti non sunt, vocem non habeant, hoc intelligendum est de voce activa, quæ simpliciter et absolute vox dicitur, non autem de voce passiva juxta Barbosa (1). An defectus subdiaconatus præ se ferat etiam privationem vocis passivæ, ita ut isti ad nullum officium eligi possint, disputant doctores; nonnulli affirmant, alii negativam tuerunt sententiam: ideo præstat animadvertere, quod decidit S. Congregatio visit. Apost. 3 Dec. 1663, hanc prohibitionem dumtaxat habere locum in voce activa, et non in passiva (2).

Si autem canonicus, in subdiaconatus ordine non constitutus, dispensationem Apostolicam super defectu ætatis obtainuerit: vocem activam in capitulo habet juxta decreta S. C. C. infra citata (3); eam vero non habet juxta decretum S. R. C. (4) et juxta aliud S. C. C. (5); et id etiam obtainet, licet canonicus a Sede Apostolica habeat indultum ordines sacros non suscipiendi: ita ut a simplici dispensatione sacrorum ordinum et ætatis argui non possit etiam facultas ferendi suffragium in capitulo (6).

Quinimo qui in ordine subdiaconatus saltem constitutus non est, nec vocem consultivam, nec sedem, nec assistantiam in capitulo habere potest (7). Cum tamen juxta Cardinalem de Luca (8) non prohibeantur alii qui in sacris non sunt, capitulo intervenire, et votum consultivum proferre; canonici in minoribus ordinibus constituti, licet vocem non habeant, capitulo tamen assistere atque interesse possunt, saltem si ex statutis vel actu fundationis id eruatur (9), ad effectum addiscendi ea quæ sunt muneris canonici.

(1) De canonicis cap. 41, n. 1.

(2) Zamboni tom. 4, *Canonici* § XVI, *An autem*; Lucidi de Visit. SS. Lim. tom. 2, postulatum quintum, n. 48.

(3) 13 Januarii 1629, *Montis Politiani*; 15 Sept. 1629, *Sancti Miniatis*; 2 Maij 1643, in *Amerina*; 31 Maij 1783, § 11, *Sabinen*, apud Pallottini *Canonici* § VI, n. 83-85; Zamboni *Canonici* § XII, n. 6 et 7, et tom. IV, *Canonici*, § XVI; Lucidi de Visit. SS. Lim. loco cit. n. 49.

(4) 19 Julii 1738, in *Bituntina* ad 22.

(5) 2 Dec. 1679, in *Fulginaten*. lib. 30 decret. p. 510, apud Pallottini *Canonici* § X, n. 70.

(6) S. C. C. 22 Jul. 1822, in *Oppiden*. apud Pallottini loco cit. n. 71.

(7) S. C. C. 29 Ap. 1623, lib. 12 decret. p. 129; 8 Mart. 1664, in *Romana* lib. 24 decret. p. 53; 2 Dec. 1679, in *Fulginaten*. lib. 30 decret. p. 510, apud Pallottini *Canonici*, § X, n. 68-70; Barbosa de canonicis c. XXXVII, n. 4.

(8) In annot. ad sess. XXII, c. 22, de ref. Conc. Trid.

(9) S. C. C. 8 Mart. 1664, *Romana* apud Zamboni *Canonici*, § XII, n. 10; 22 Julii 1741, *Romana* apud Pallottini *Canonici*, § VI, n. 70 et 71.

corum (1) : imo nedum interesse, sed et votum consultivum ferre possunt (2), et etiam deliberationes capitulares subscribere, præsertim cum quædam adfuerit consuetudo (3).

Subdiaconi pacifice obtinentes canonicatus, quibus diaconatus vel presbyteratus ordines sunt annexi, si justo impedimento cessante, ad hujusmodi ordines se promoveri non fecerint intra annum, voce in capitulo privantur, donec ad eos promoti fuerint (4).

VI. Dignitates, quamvis in sacris existant, et locum in choro possideant, nullam tamen in capitulo vocem habent, ni præbenda canonicis dignitati annexa sit, et ita veri sint canonici, vel nisi in statutis disponatur, aut ex consuetudine habeatur, quod sint de capitulo (5).

VII. Episcopus dioecesanus vocem non habet, nisi sit ejusdem ecclesiæ canonicus, ut dictum est c. X, § 1, et hoc c. XXXII, § 12.

VIII. Vicarius generalis qua talis vocem non habet, etiamsi capitulo forte adfuerit, nisi sit canonicus, ut dictum est cap. XI, § 6, et hoc cap. XXXII, § 13.

IX. Canonicus supernumerarius, quem Papa mandavit recipi cum plenitudine juris canonicalis, vocem in capitulo habet (6). An autem canonici supernumerarii, ab Episcopo nominati sine expectativa præbendæ, vocem habeant, attendenda est consuetudo, ut dictum est cap. XI, § 1, n. IV. Canonici vero honorarii vocem non habent, ut dictum est ibidem cap. XI, § 2, ad VII.

X. Coadjutor vocem non habet, nisi in litteris coadjutoriae explique exprimatur, ut dictum est cap. XI, § 5, ad IV, non obstante contraria aliquorum auctorum opinione (7).

XI. Beneficiati, portionarii, capellani aliqui ejusmodi clerici, quocumque nomine appellantur, vocem non habent, nisi id juris ex induito Apostolico, ecclesiæ statuto, legitima consuetudine, aut ex reservatione quoad aliquem actum a fundatore facta, acquisierint, ut dictum est cap. XII, § 2, n. III (8).

(1) Scarfantonius lib. IV, tit. III, n. 8.

(2) Pallottini ibidem n. 72 et seqq.

(3) S. G. C. 2 Aug. 1856, in *Albinganen*. apud Pallottini loco cit. n. 78-81; *Analecta juris Pont. 1857*, sér. 2, fol. 2583.

(4) Clement. lib. I, tit. VI, c. 2 *Ut it*; Conc. Trid. sess. XXII, c. IV de reform. Barbosa de canon. cap. 41, n. 1.

(5) Pallottini *Canonici* § X, n. 47 et seqq. Scarfantonius lib. IV, tit. III, n. 21-25; Barbosa de canonis, c. XXXVII, n. 14.

(6) Barbosa de canon. c. XXXVII, n. 8; Scarfantonius lib. IV, tit. III, n. 17.

(7) Ceccoperius lib. IV, tit. III, n. 15; Bouix de capit. p. 1, sect. IV, cap. V, ad 4.

(8) Pallottini *Capitulum* § III, n. 6.

XII. Excommunicati majori excommunicatione, si sint denunciati vel publici clericorum percussores, vocem non habent (1).

Suspensi seu depositi per sententiam judicis aut etiam canonis, vocem in capitulo non habent (2).

Interdicti personaliter vocem quoque non habent, et personale aut locale interdictum violantes, scienter exercendo actum sacri ordinis, vel celebrando officia divina, vocem in capitulo amittunt (3).

Irregularis etiam juxta aliquos voce privantur (4). Hoc autem de irregularibus ex solo defectu, ut qui oculum sinistrum aut indicem inculpabiliter perdiderunt, dici non potest.

XIII. Qui suo loco et ordine in capitulo sedere vel sententiam dicere nolunt, aut dicentem interpellare audent, et multo magis qui jurgia et contentiones excitant, vel contumeliam alii irrogant, digni sunt, ut dictum est § 10, n. XIII privari jure dandi vocem tam in illo, quam in sequenti capitulo. Hæc poena de jure non imponitur. Quamvis vocis privatio pro una vice seu uno actu censatur poena moderata (5); non leviter tamen imponenda, si ex statutis aut consuetudine præscripta non habeatur. Non ex arbitrio præsidis capitulo, sed cum capitulo consensu et sententia infligenda videtur, ut dictum est cap. XVI, § 2 ad IV.

XIV. Qui scienter elegerunt indignum, aut postularunt, pro ea vice eligendi potestate privantur (6).

§ 19. De duplice voce, quam aliquis habet.

I. Nullus, sive canonicus sive dignitas, per se duplex habet votum. Unde S. R. Congregatio (7) ad petitionem : An canonicus, qui est etiam dignitas, habere debeat duas voces in capitulo, an vero unicam tantum, maxime cum dignitati non sit adnexus canonicatus? respondit : *unam tantum vocem in casu proposito habere debere*.

(1) Scarfantonius lib. IV, tit. III, n. 41-50; Barbosa de canonis cap. 41, n. 3-5; Reiffenstuel lib. I, tit. VI, n. 167-169.

(2) Barbosa ibidem n. 6; Reiffenstuel loco cit. n. 170.

(3) Barbosa ibidem n. 7 et 8; Reiffenstuel ibidem n. 171.

(4) Barbosa ibidem n. 9; Reiffenstuel ibidem n. 172.

(5) Giraldi de poenis eccl. p. 1, cap. XXIX.

(6) Barbosa de canonis cap. 41, n. 10-13; Reiffenstuel lib. I, tit. VI, n. 179.

(7) 11 Maji 1641, in *Nucerina paganorum*.

Sic Episcopus, qui est canonicus, unicum tantum votum habet, ut dictum est hoc cap. XXXII, § 12, III.

Item nec primæ dignitatis aut præsidis capituli votum est decisum, ita ut in paritate votorum illius votum non præponderet, quia dignitas seu præsidentia per se non dat jus ferendi suffragium, sed sola qualitas canonici; et ita illa per se ipsam nullam involvit superioritatem, sed potius omnimodam cum aliis canonici æqualitatem: nisi contrarium in statutis reperiatur dispositum, aut consuetudine introductum (1).

II. Duplex tamen votum habet canonicus procurator alterius canonici, ut dictum est hoc cap. XXXII, § 17, ad III.

Duplex votum habere potest dignitas ex consuetudine immemorabili (2).

Qui dignitatem et canonicatum obtinent juxta aliquos duplēcē vocem in capitulo habent; ubi enim duo jura accedunt eidem personæ. ipsa censenda est jure duorum (3). Verum eo non obstante, cum dignitati non competit jus dandi suffragium in capitulo, nisi hoc in fundatione ecclesiæ fuerit constitutum aut consuetudine introductum, inde inferendum est, dignitati, quæ simul est canonicus, duo suffragia non competere, nisi jus ferendi suffragii dignitati ex fundatione vel consuetudine ita annexum sit, ut dignitati, etiamsi non sit canonicus, unum tamen votum ratione dignitatis competenteret: tunc enim jura dignitatis et canonicatus separatim considerantur, ac separata remanent; et eatenus ratione duplēcē qualitatis duplex quoque suffragium ei competit (4).

Canonicus coadjutor dignitatis duplēcē vocem habere potest, si dignitas vocem habeat, et facultas suffragium ferendi in litteris coadjutoriae explicite expressa fuerit, ut dictum est § 18 præc. ad X (5).

III. Qui duplēcē vocis gaudet privilegio, binas has voces dividere nequit, sed tenetur uni adhærere easque dare pro una eademque re (6). Ratio est, quia, cum votum dare teneatur illi

(1) Louvre diss. XVIII, n. 50, 53 et 54.

(2) S. C. C. 14 Feb. 1761, in *Tridentina*, apud Pallottini *Canonici*, § X, n. 57, et apud Zamboni *Canonici*, § 2, n. 11; 3 Mart. 1860, *Terracinen*, apud Analecta juris Pont. 1861, sér. 5, fol. 485.

(3) Scarfantonius lib. IV, tit. III, n. 26 et 27; Pallottini *Canonici*, § X, n. 56; Barbosa de canonis cap. XXXVII, n. 18.

(4) Louvre loco cit. n. 48 et 49; Garcias de benef. p. XI, n. 211.

(5) Zamboni *Canonici*, § XII, n. 11; Barbosa de canon. cap. XXXVII, n. 26.

(6) Scarfantonius lib. IV, tit. V, n. 16.

quod in conscientia melius judicat, hoc respectu suiipsius solummodo unum et idem esse potest.

§ 20. *De capitolariis præsentibus, requisitis ad actum capitularem faciendum aut quæstionem decidendam.*

I. Inter præsentes requisitos computandi non sunt nisi qui debent, et volunt et possunt commode interesse, sive qui vocem habent in capitulo. Unde computandi non sunt, qui incapaces sunt ad suffragium ferendum, puta ob interdictum aut excommunicationem, ob defectum ætatis seu ordinis sacri, neque qui ob nimiam distantiam vocari nequeunt. Horum omnium non est habenda ratio in computanda majori parte votorum (1).

Computandi non sunt, qui debite vocati, venire nolunt, quia pro hac vice se faciunt extraneos, censentur quasi non essent de capitulo, et tota potestas residet in aliis (2).

Nec illi qui votum dare nolunt, etiamsi in loco capitulari remaneant (3).

Nec illi qui ex capitulo exeunt, et redire nolunt, etiamsi protestantur et appellant; siquidem recedendo se faciunt alienos a capitulo et a jure ferendi suffragii (4); pro illa vice reputantur extranei, et quasi de capitulo non essent, totaque capituli potestas residet penes eos, qui remanent (5). Hoc tamen intelligendum est, dummodo major pars capitoliarium non fuerit egressa (6); quia si major pars discesserit, ipsi censentur velle dissolvere conventum capitularem, quibus alii numero pauciores obtemperare debent: nisi forsitan tempus urgeret, quia tunc præsens pars minor procedere posset, etiamsi remaneret unicus: neque enim is propter aliorum absentiam jus suum dimittere tenetur (7). Quod autem capitulum censeatur dissolutum, si major pars egressa fuerit, intelligendum est juxta Scarfantonum (8) de capitulo ordinario, a quo si major

(1) Reiffenstuel lib. I, tit. VI, n. 120; Scarfantonius lib. IV, tit. II, animad. 35.

(2) Lib. I, Decretal. tit. VI, c. 19, *Cum nobis* et c. 28, *Quod sicut*; Reiffenstuel lib. I, tit. VI, n. 197 et 198; Louvre diss. XVIII, n. 33.

(3) Barbosa de canon. cap. XXXVIII, n. 12; Reiffenstuel loco cit. n. 201.

(4) Barbosa loco cit. et Reiffenstuel loco cit. n. 200.

(5) Louvre loco cit. n. 33.

(6) Abbas in c. *Cum nobis* n. 10; Reiffenstuel lib. I, tit. VI, n. 202.

(7) Reiffenstuel loco cit. Louvre ibidem, n. 34.

(8) Lib. IV, tit. II, n. 25-28.